



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

830. An etiam in impetratione facta ab Ordinario aut legato apostolico necesse sit exprimere illas conditiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

seatur. Unde vides hac regulâ non prohiberi absolute possessorem molestare, aut ejus beneficium impetrari; sed solum casu quo non ferventur conditiones in regula præscriptæ; illis enim servatis con ceditur impetratio. Castrop. loc. cit. num. 5. Vides etiam ex hoc ipso regulâ proæmio: ut improbi lites exquirentium mores exprimentur: quod quamvis regula hæc directe magis intenta sit, non tam in odium impetrantium, aut favorem possessorum, quam in commune bonum Republicæ, cujus interesse judiciâ exerceri, ne cuiuspiam detur ansa propriâ manu sibi jus dicendi, & ut ab iis litibus materia omnis calumniandi arceatur. Lott. l. 2. q. 52. n. 6. & 9. Nihilominus etiam regulam hanc emanasse & dirigi in odium exquirentium lites, seu adversus impetrantes & molestantes pacificos possessores, tradit cum communi Lott. ibid. n. 27. uti & in favorem possessorum, ut eos tueatur. Paris. l. 3. q. 5. n. 55. Quamvis potius in dictum odium, quam in hunc favorem. Card. Luca de benef. in sum. n. 234. De cetero pro meliore hujus regulâ intelligentia,

Questio 829. Circa conditiones illas servandas ab actore seu impetrante, quæ servanda in expressione illorum punctorum exprimentorum?

1. Respondeo sequentia: primò juxta probabilem, quam tenet Castrop. cit. n. 5. contrarium sentientibus, quos citat Rebuff. gl. 9. & Azor. p. 2. l. 7. c. 34. q. 8. non esse necesse ab eo exprimi cognomen possessoris; cum regula solius nominis, & nullam cognominis mentionem faciat.

2. Secundò: cum dicitur, exprimi debere gradum possessoris, hoc est, num sit Doctor vel Licentiatus, vel Magister in Theologia, jure canonico vel civili, id intelligendum, si habeat gradum (idem est de nobilitate) aliâs, quod non est, non potest exprimi. Alph. Soto apud Chok. hic num. 9. Et dum habet gradum, non esse necesse exprimi, an sit Professor publicus Theologiæ, an Juris. Castrop. ibid. contra Azor. loc. cit. q. 9.

3. Tertio: hæc & similia, quæ exprimi & referri debent, sufficere, quod exprimentur juxta communem vulgi opinionem; neque enim impetrans videtur obligari ad faciendam ampliorem informationem. Castrop. loc. cit. ita ut hanc expressionem excuset fama in contrarium, vel probabilis ignorantia; ut si aliquis factus esset Doctor clandestinus. Alph. Soto. loc. cit. n. 11.

4. Quarto: quodam expressionem causæ, non sufficere allegare, nullum possessori jus in beneficio competere, sed debere proferri causam determinatam & specificam, hoc est, singularem & individuum. Castrop. ibid.

Questio 830. An etiam in impetratione facta ab Ordinario, aut Legato Apostolico necesse sit exprimere dictas conditiones?

1. Respondeo ad primum negativè; nam Ordinario cognitum esse debet, quis sit annalis possessor, & quem titulum habeat; & quot annis possederit; cum juxta c. decernimus. 10. q. 1. & c. conquerente. de off. Ordinari. in 6. teneatur quotannis diocesein suam visitare. Castrop. loc. cit. n. 7. citans Gomef. ad hanc reg. q. 9. Mand. q. 50. Azor. p. 2. l. 7. c. 34. q. 11. Atque ita, quod hinc sequitur, locum non habere hanc regulam de annali extra Curiam, do-

cet Chok. hic num. 55. dicens Rotam multifariam esse secutam hanc opinionem.

2. Respondeo ad secundum affirmativè; Legato enim æquè ac Pontifici possessores beneficiorum, ac beneficia ipsa sunt incognita. Neque, ut rectè Gonz. gl. 21. n. 37. & 38. Legatus proprie est Ordinarius, sed improprie, & superinductus. Castrop. cit. n. 7. citans Azor. Rebuff. Mand. contra Gomef. cit. q. 10. Atque ita locum habere hanc regulam in provisione Legati, contra Gomef. hic q. 9. docet Mandof q. 50. Et sic decisum esse in Coloniens. Canonica. 2. Junii 1574. restatur Seraphin. decis. 285. n. 9. apud Chok. hic n. 56. etsi is in contrarium inclinaret.

Questio 831. Quid præstandum reo seu possessori, contra quem movetur actio, ut juvetur hac regulâ?

1. Respondeo: teneri illum primò de ea excipere; neque enim ipso jure operatur hac regula effectum suum contra impetrantem, sed ope exceptionis. Lott. l. 2. q. 52. num. 12. citans Sarn. ad hanc reg. q. 4. Rebuff. q. 8. Mantica. decis. 46. n. 4.

2. Respondeo secundò: ut dicta regula suffragetur excipienti, non sufficit ejus allegatio, etsi sit notoria, sed requiritur positivus ejus usus per realem illius productionem, servatâ formâ regulæ Cancell. de producenda. Lott. ibid. n. 13. citans Gomef. q. 4. Gonz. gl. 56. n. 83. Gratian. discept. forens. c. 574. n. 27. Porro exceptio illa annalitatæ semper est in & de tempore, hoc est, non admittitur solum in quacunque parte judicii, & in quacunque instantia. Lott. n. 14. citans Cassad. decis. 12. n. 1. super Reg. Rotam decis. 601. p. 4. recent. sed etiam post sententiam & executionem, ita ut fiat retrotractio virtutis illius ad omnia præcedentia. Lott. num. 15. citans Gonz. gl. 66. n. 45. Gratian. ubi ante n. 30. Et hoc etiam ad effectum restitutionis possessionis. Lott. n. 16. citans Rot. decis. 309. p. 3. divers. l. 3.

3. Respondeo tertio: mox, ubi exceptio hac annalitatæ fuerit legitime objecta, erit iustificanda ex duabus circumstantiis, nimirum quod possessio sit annalis, & quod sit pacifica. Lott. loc. cit. num. 17.

Questio 832. Quid præstandum actori, ut juvetur hac regulâ, seu ut elidat exceptionem?

Respondeo: posse illum juvari triplici replicatione; & primò quidem impugnando factum, ostendendo nimirum, se fuisse provisionem ante annalitatem, vel etiam ante aliquam possessionem, vel etiam suppositâ annalitate, eam fuisse litigiosam. Lott. cit. q. 52. n. 26. & 27. Secundò, ostendendo notoriam inhabilitatem personæ, nimirum habentis beneficium. Lott. nu. 37. quod tamen n. 38. ait intelligendum de incapacitate canonizata, adeoque notoria per confessionem aut judicatum, ut non possit in controversiam revocari; si enim possit dari instantia veritatis in contrarium, etiam ex aliquo jure speciali, cessaret illa replicatio. Tertio, satisfaciendo ex parte sua dispositioni regulæ, seu servando accuratè omnia, quæ in ea præscribuntur. Lott. n. 50. Hinc jam descendendo ad particularia,

* *

Qua-